IR
4070.
Fridericus Papa Gorlicius,
Pentecoste
de Mirandis Dei Operibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

Hielmst. 4070 4° DA box

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

20.

Pentecoſte

DE MIRANDIS DEI OPERIBVS IN PATEFACTIONE LEGIS ET EVANGELII.

Scripta ad

NOBILISSIMVM ADOleſcentem ESCHILLVM à BILDEN, Dominum de SVANHOLM, &c. Danum, è Schola GORLICENSI abeuntem.

Per

FRIDERICVM PAPAM GORLICIVM.

GORLICII

Excuſa typis Ambroſij Fritſchij,

ANNO

M. D. LXXXVIII.

25

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

INSIGNIA
Nobiliſſimæ & antiquiſſimæ Familiæ à BILDEN in Dania.



Bildenicæ gentis clypei pars altera rubra eſt,
Altera pars candet, cornua caſſis habet.
Cornua ſunt robur, Martis color alter, & alter
Pacis, vtrumq; ſatos nobilitate decet.
Forma quid hæc ſimplex? ſimplex fuit ipſa vetuſtas:
Simplicitas formæ ſtemmata priſca notat.

M. Martinus Mylius.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

ANTIQVÆ NOBILITATIS ADOLESCENTI *Eſchillo à Bilden, Dano, Generoſi Domini Petri à Bilden, Domini de Svanholm, Senatoris regni Daniæ, & Magiſtri Aulæ Reg. &c. Filio.*

S. D.

CArmine dum tenui cœleſtia iuſſa Tonantis,
Inq; miniſterio, quæ confert Numinis aura,
Terrigenis ægris, certæ promiſſa ſalutis
Condo: ſollicitus mentem circum omnia verſo
Inquirens; cui Muſa meos offerre labores
Præcipiat: ſtudijs florentem nobilis oci
ESCHILLVM affari potior ſententia viſa eſt.
Hic longum per iter quondam regione profectos
Eoa PERSAS ſequitur: natalia & arua
Rellinquens MAGNO fido comitatus Achate,
Per freta, per ſcopulos, per ſaxa, & deuia teſqua
Tendit ouans animis, quæſitum munera CHRISTI,
Gorliciumq; venit, quà Muſæ & Phœbus Apollo
Parnaſsi ad rupem ſedem fixêre, ſacrumq;
Relligionis opus: binas vbi vixit ariſtas
Iam voti compos: pulchras animumq; per artes
Excoluit (matri, nec non tutoribus ipſis
Sic viſum: quorum ESCHILLVS præcepta capeſsit)
Inde pedem referens alias contendere in oras
ESCHILLO eſt animus, cui ſemper fidus Achates
It MAGNVS comes; & docta regit arte iuuentam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

ESCHILLI viridem: doctis te clara reuiſet
ARGENTINA viris, nulli & virtute ſecundis,
Cum comite adiuncto, quà forma, moduſq; docendi
GORLICIO à ludo haud multum differre videtur.
Aſtris ito bonis: ſancti tibi Numinis aura
Det facilem curſum; cœptiſq; ingentibus adſit
O ESCHILLE tuis: Sophiæ & præcepta iuuentæ,
Quæ, membris paruus, ſed magnus in arte PHILIPPVS
Scripſit, ne dictis ESCHILLE illude ſuperbis.

Fridericus Papa, collega docentium
in Schola patria.

PENTE-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

Pentecoſte.

De mirandis DEI *operibus in pateſactio-ne Legis, & Euangelij.*

EN iterum redijt lux quinquageſima faſtis,
Lux ſacra: lux celebris genti alipedumq; ho-minumq;:
Qua mandata ſuæ legis, promiſſa ſalutis
Joua ſuæ turbæ, magnum & memorabile Numen,
Recluſit bonus: & factis firmauit apertis.
Tu mihi CHRISTE *veni, magnum patris incre-mentum*
Vera DEI *ſoboles, ſacræ legiſq; miniſter:*
Tu vigor æthereus, dij tu Numinis aura,
Tertia de triplici radijs vibrantibus olim
Vertice ab æthereo perſona emiſſa Senatu,
Aura ſacrata veni: cœleſti lumine mentem
Irradia: calamum rege: verba ſonantia linguæ
Tu forma: validaſq; in carmina ſuffice vires:
Vt tua carminibus complectar facta ſtupenda:
Per quæ vera ſalus venit: & quibus itur ad aſtra:
Quæ, dulcis dum vita manet, ſunt dulce leuamen
Rebus in afflictis, cunctis mortalibus ægris:
Vix gens Abramidûm, varijs iactata periclis,
Niliaci regis duris exire parauit
Seruitijs: & iter emenſa per ardua ſaxa

Venit, ouans animis, ad Sinæ culmina montis:
Cum pater æthereus natum, ſibi Numine, & æuo
Et vi conſortem, dictis affatur amicis:
O mea progenies, mea lux, mea gaudia in æuum;
Ecce tuus populus, tua gens, tua & vnica cura,
Gentibus in cunctis, quas vaſtus continet orbis,
Hîc inter ſcopulos, inter ſpelæa ferarum
Vitam agit: inq; ſolo, quod nunquam vomere vertit
Agreſtis pubes: inter genteſq; ferores,
Indomitas, nulla Iouæ ſe lege tenentes,
Seruitio in duro iamdudum oracula verbi
Dedidicit noſtri: dia ſunt luce relictæ
Scintillæ mentis cæca caligine merſæ.
Vade agè noticiam Iſacio de patre profecta
In turba repetas, anguſta in mente micantem:
Ne temerè huc animum celerem, nunc diuidat illuc:
Et dubitet, quæ ſit ſuperûm ſententia regis.
Nate meæ vires, mea magna potentia ſolus
Tu noſti: êq; ſinu noſtro ſub mente repoſta
Omnia depromis, Legati munere fungens.
Legibus adde tamen vires, & luce coruſca
Ipſe cie tonitrus, & crebros ætheris ignes,
Fulmina, & vndantos commiſto puluere fumos.
Axe poli medio clangores mitte tubarum:
Ne ſacram vocem derideat impia turba:
Quæ cuſtos hominum vitæ eſt: immota voluntas
Vnius, triniq; DEI: violare nec vlli

Hane

Hanc legem fas eſt humano ſemine creto,
Qui non ad Stygias Erebi detrudier oras,
Aeternumq́ cupit luere, atq́ cremarier igni.
Sic volo, ſic iubeo, ſtat cum ratione voluntas.
Filius hæc contra: Diuûm pater atq́ hominûm rex
Te mandare decet, mihi iuſſa capeſſere fas eſt,
Sum tua progenies, tu me ſine tempore & ortu
Mente ſatum eduxti, natura, & numine eodem:
Tu peragenda mihi monſtras opera: omnia quæ tu
O genitor facis: eſt tua me præſtare voluntas.
En nullum officium renuo, tua iuſſa capeſſo.
Hæc vbi dicta: cauum concuſſo vertice montem
Impulit excelſum: ac rapidæ velut agmine facto Pentecoſte vetus.
Quá data porta ruunt flammæ, fumiq́ ſequaces
Nubibus in denſis, & non imitabile fulmen:
Inſequiturq́ tremor terræ, clangorq́ tubarum:
Eripiunt ſubitò nubes cœlumq́, diemq́
Iſacidûm ex oculis: terris nox incubat atra:
Intonuêre poli: & crebris micat ignibus æther:
Præſentemq́ viris intentant omnia mortem.
Iura ſonat legis ſimul inter fulminis ignes Legis promulgatio.
Aeterno Genitore Satus: cum luce parentis
Lux eadem, totum genus Iſraële reſultans
Obligat ad diras vel pœnas: ſiue Tonanti
Parendi ſtudium, legiſq́ capeſſere dicta.
Alterniſq́ ſonant Lex, atq́ Typhoea tela:
Alternis reſonant voces, ſonituſq́ tubarum.

Sed

Sed quis tam tenui poterit comprendere verſu
Terrores tantos, tamq; ardua murmura montis?
Tu ſacra Muſa patris, Nati & tu viuida flamma,
Amborum nexus, tu dij copula amoris,
Spiritus alme DEVS, tu mecum euolue trementis
Terrores populi, glomerati ad culmina Sinæ.

Populi pauor.

Gens dilecta DEO iamdudum exterrita flammis
Fulmine commiſto miſſis, dare terga parabat,
Voce vocans querula fuſum Amræ ab ſanguine Moſen:
Sis (ait) interpres, inter nos, atq; Tonantem:
Tu ſcis afflictis melius confidere rebus:
Tu Iouæ intrepidus rapidos fers fulminis ignes:
Iouam compellare vales: iuſſa horrida iuſſa
Accipere: atq; eadem populo committere habenda:
Tu nobis adſis: tua dimittemus in aures
Dicta: DEI aſpectum fugimus: pauor oſſa pererrat,
Conſcia corda timor pulſat: lectiq; iugalis
Conſors, & nati tremere innuptæq; puellæ
Incipiunt: lucem fugiunt: penetralibus altis
Seſe abdunt: cæcis turbatæ pectora flammis,
Ardore poli, & terræ, nulliq; ferendo
Fulmine Terrigenûm, atq; æris clangore canori.
Sit DEVS ô noſter placidus, ſeruetq; ſalutem
Abramidûm: meritis nec noſtris præmia reddat:
Numen vt ipſius, noſtro celebrarier ore
Aeternùm poſſit: famaq; ad ſidera ferri.
Corniger his contra: Gens ô dilecta Satori,

Omnibus

Omnibus è gregibus magnum delecta per orbem: Moſes de
Vt verum, & viuum, trinũ quoq; Numen & vnum vſu legis.
Mente pia coleres, & vero cordis honore
Afficeres: ſanctæ conſcripta volumina legis
Auribus hauſiſti, ſuperas tibi miſſa per auras.
Fabula vox legis non eſt, vt reris, inanis:
Terricolûm eſt cuſtos: Iouæq; immota voluntas,
Aeterna: & radius, diæ & ſapientia mentis:
Cordibus humanis ſcintilla ab origine prima
Inſita iuſtitiæ, diuinæ particula auræ.
Vt DEVS immotus: ſic lex immota manebit,
Qua, nexus inſtar, mortalia corda ligantur,
Parendi ad ſtudium Iouæ: ſtygiæue paludis
Sunt rea in æternum: lex magnas aggerat iras.
Nunciat horrendas pœnas, pariterq; ſeuerum
Iudicis officium: noſtriſq; in mentibus hærens,
Terrigenam accuſat: pallenti & deſtinat Orco.
Hæc culpæ numerum monſtrat: nil noſtra valere
Dictat apud Iouam merita: erranteſq; coercet,
In morem freni, motus, queîs fluctuat intus
Mens hominis præceps: ne cœco accenſa furore
Gaudeat indigna vita, cæde, atq; tumultu:
Et ruat in diras pœnas: dum veſcitur aura:
Lex veram oſtendit normam iam in mente micantem.
Dira DEVS vindex malefacta ſub orbe rependit
Supplicio atroci: neq; enim illo eſt iuſtior alter.
Quin etiam pietate graues, & pectore puro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

Edocet illa homines: qualis ſit Ioua, quibusq;
Cultibus, & quanto cumulari malit honore.
Hæc immota manet mens: atq; hic terminus hæret:
Præceptis parete meis: vox vna Tonantis.
Quod ſi forte ſacræ renuetis vincula legis:
En DEVS, æternis qui res hominumq; Deûmq;
Imperijs torquet, ſimulante tonitrua nube
Decidet: in puncto gentem Iſraële creatam
Perdet: & horrificas adiget vos fulmine ad vmbras:
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam.
Dixerat, & geminas duro ex adamante tabellas,
Fœderis æterni profert manſura ſigilla:
Quas Iudæa phalanx ſeruaret monte repoſtas:
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis,
Ducere ſi vitam incolumem, ſi labe carentem
Mallent, æthereis ſuperûm & transſcribier oris.

Iſraelitæ legem diuinam negligunt.

At gens multa gemens diæ ſub pondere legis,
Atq; oblita apicis Sinai, vocisq; ſacratæ
Paulatim cultu neglecto, & munere verbi,
Diuos mente nouos fingit: mentitaq; multo
Numina honore colit: queîs relligionis egens gens
Sacra ferens, tauros poſitas mactauit ad aras,
Nunc genio indulget: vita gaudetq; profana:
Nunc ſitiens expoſcit aquas, pinguemq; ferinam:
Pectoris exultant æſtus: nunc vndiq; voces
Diſſenſu vario fulgentem tollit ad æthram:
Inq; ducem effrenis iactat conuicia Moſen.

Cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

Cum tandem fatis terram iam melle fluentem,
Lacte nouo, putris fœcundam atq; vbere glebæ
Deuenêre, Sati claro de ſanguine Iouæ
Cultibus à veris, veriq; à Numine Iouæ
Abſtinuiſſe iuuat: proprium & finxiſſe Tonantem.

Iſraelitæ idola colunt in terra ſancta.

Hîc cum gens varijs eſſet iactata periclis:
Atq; feris orbis populis oppreſſa iaceret:
Aſſyrij tenuêre alios, Babylonius heros
Mente ferox alios frenans in vincla trahebat:
Et tandem exiguus Iudæ de ſtirpe ſuperſtes
Grex eſſet: cœli & vitales carperet auras:
Hîc, diſperſa quidem, ne gens iam tota periret:
Regnaq; Ieſſæi regis euerſa iacerent:
Chara DEI *ſoboles ſuperûm ſe librat ab axe:*
Humanæq; humilis ſumit velamina maſſæ
Virgine in intacta: pro culpa & victima cæſa
Numina læſa patris tranſuerſi in robore ligni
Concilians, patrem compellat vocibus vltrò:

Pœnæ diuinæ.

Filius Dei aſſumit humanam naturam.

En ego ſum ſeruus tuus, ô pater, omnia feci:
Quæ pro Terrigenûm peragenda ſalute volebas.
Nunc ſupereſt dij quo viuus Numinis ignis
Cæles amor, vigor æthereus, cœli aureus ardor
Mittatur: qui res hominum iam numine lapſas
Fulciat: atq; meum vocali munere verbi
Qui regnum vaſtum terrarum ſpargat in orbem.

Intercedit apud patrem

Dixerat, & patri oſtendit palmaſq;, pedeſq;,
Confoſſum latus haſta, & hians ſub pectore vulnus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

Nulla pater renüit nato bona : filius ipſe
Hæret in amplexu Genitoris : nec ſuper vlla
Noxa erat, in ligno plantas, & vtroſq; lacertos
Diſtentus, quam non inhoneſta morte piaſſet
Filius æquæuus patri, & Ieſſeia radix.

Pentecoſte noua.

Vix decies quintam roſeis aurora quadrigis
Exoriens lucem extulerat mortalibus almam :
Cum nece deſtructa CHRISTVS *rediuiuus in auras*
Victor ijt, ſpolijs pallentis onuſtus Auerni :
Conueniunt bis ſex proceres, ſpe pectora pleni
Coniunctiſq; animis expectant dona, petuntq;
Cælitus afflatus : ſacrati in munere verbi
Qui doceat mentes : manſuræ quiq; ſalutis
Monſtret iter : ſancto qui numine pectora firmet,
Aduerſus carnem, cæcos mundiq; furores.
Ecce repentino tremuit concuſſa fragore
Terra : vbi bis ſeni proceres (quos legerat, orbi
Certa ferens CHRISTVS, *quænam ſententia patris)*
Sedêre vnanimes : ſonituſq; volatilis auræ
Audiri : & magno miſceri murmure cælum.

Miſſio Spiritus ſancti.

Nec mora Chaoniæ collectus in ora volucris,
Inſiſtit linguis verba in variantia fiſsis
Bis ſex ſacrorum procerum diffuſus ab æthra
Halitus, æterni dulcis ſpirator amoris :
Quo pater, & natus Genitori in numine compar,
Coniuncti inter ſeſe hærent, ſociaq; tenentur
Mente, nec auelli poſſunt diſcordibus auſis.

Verùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

Verùm bis ſenis exæſtuat intus alumnis
Igne ſacro pectus, diuini Numinis igni
Corda calent: habiliſq; vigor membris venit: & lux
Exoritur mentis noua: ſe noua & exerit intus
Vis cordis: puncto fiunt noua cuncta ſub vno.
Tanta virûm vis: quam cæco correpta furore
Gens non vlla hominum, non terruit arbiter Orci,
Nil contrà ferrum, nec aquæ valuêre, nec ignes.
Qui modò quæſierant turbati corda timore
Obſcuras ſedes, cæcis loca fœta tenebris:
In medium populi, procerum, regumq; ducumq;
Ecce ruunt, viuo calefacti numinis igni:
Vnigenamq; ſonant reuocatum in luminis auras:
Terrigenis, quotquot cæli conuexa tuentur,
Promittunt veniam, transfoßi in nomine CHRISTI,
Gratuitam: ac toto ſurgit gens aurea mundo:
Iam redit & Chriſtus: redeunt noua regna per orbem
Vnigenæ, cælo mißi per munia flatus.
Verùm legati dum ſede morantur eadem, Admiratio turbæ Hieroſolymis.
Arcibus in Solymis, cæleſtia dicta ſonantes:
Egregij pietate viri: atq; ê gentibus orbis
Collecti: qui tum carpebant ætheris auras:
Hîc vbi conueniunt: voceſq; loquentium ab ore
Eripiunt: ſacram concurrunt vndiq; ad ædem:
Attonitiſq; inhiant animis: trepidiq; ſuarum
Rerum, imo tales depromunt pectore voces:
Ecce viri, qui iam linguis vibrantibus ignem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

Cælituum regis ſacrata oracula pandunt,
Nonne omnes lucem hauſerunt Galilëide in ora?
Linguam quiſque ſuam audimus: cum lacte parentis
Quam quondã imbibimus, rapti quoque ab vbere matris,
Hauſimus: adueniunt Medi, Parthique fugaces:
Adſunt, quos regio (quam vergens Solis ad ortum
Tigris, & Euphrates turgentibus alluit vndis
Solis ad occaſum) miſit: queîs Perſide in ora
Et quibus æthereas licuit conſurgere ad auras
Palmifero in tractu Phænicum, & diuite Idume,
Adſunt Cappadoces: adſunt quos Pontica tellus,
Quos Aſiæ, Phrygiæque ſolum, & Pamphylia fudit:
Quique poli Pharium fœtu venêre ſub axem:
Oraque quos Libyæ mittit fœcunda venenis:
Et quos Roma potens armis: quos Gnoſsia tellus:
Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.
Hi noſtris linguis varia in præconia fiſsis
Enarrant ſummi benefacta immenſa Tonantis.
Terrentur viſu ſubito: gelidusque per artus
It timor: & pauidas ſubit admiratio mentes
Terricolûm, Solymæ qui vnum venêre ſub agmen.
Vnde (aiunt) iam tanta venit collecta virum vis?
Pars riſu excepêre viros, animoque putarunt
Vnanimes proceres Bacchi eſſe liquore ſepultos.
Concio Petri. *Nec mora diuino iam tactus numine* PETRVS.
Ad populum tales effundit pectore voces:
Quæ vos, ô Solymi, capit admiratio tanta?

Quid

Quid nos arguitis vini? ſunt cuncta Tonantis
Hæc opera, ut quondam prædixit pagina vatis
Ioelis, ſeclis poſtremis affore tempus,
Quo DEVS aſtripotens proprij de numine flatus,
Effundet flatum: qui tum naſcentur ab illis
Numine firmati, fatorum arcana recludent:
Et DEVS affiget cœlo ſigna horrida ſigna:
Sol prius obſcura cinget ferrugine frontem:
Lunaq́ cæruleo vultum velabit amictu:
Quam ſtrepere incipient ſuper æthera cornua cantu
Aduentante DEI Nato, ſub nube ſerena.
Norma immota DEI: terreno ut ſemine cretus
Vnigenæ ſupplex diuinum Numen adorans,
Non pereat: celſo ſed transſcribatur Olympo.
Vos ô vos fidum genus, Iſraelis alumni,
Huc properate viri, veſtraſq́ aduertite mentes:
Vos virtute virum, cui quondam Nazaris ora
Nomen habere dedit, diuino nomine IESVM,
Per iuuenem aligerum, quem dixit rector Olympi,
Quemq́ probare DEVS ſe, multis fortibus auſis
Haud rarò oſtendit, ſignis, factiſq́ ſtupendis,
Quem quondam attoniti veſtris vidiſtis ocellis.
Tanta maieſtate virum, ſummiq́ IEHOVAE
Donatum arbitrio, manibus poſt terga reuinctis
Vos, ô vos, Solymæ cultores, in trabe dira
Clauis ſuffixum, penetrantis acumine ferri
Rupiſtis, latebras uteri terebraſtis & haſta,

Qui

Qui vos edocuit diuini oracula verbi,
Nec veſtris vnquam ſubduxit vultibus ora.
O miſera, & non viſa prius ſpectacula rerum,
Sicne ſatum Ioua vinclis conſtringier arctis?
Spectatumq; trahi Solymam clamore per vrbem?
Tam bene Iudæa ſemper de gente merentem?
Hancq; adeò ardentem, duris vincliſq; leuantem?
Illudiq; virum, flagris cæſumq; cruentis,
Pulſatumq; manu, longa cum morte necari?
Aſt hunc æthereas rurſum ſub luminis auras
Ereptumq; Erebo, lethiq; dolore ſolutum,
Vnus, tergeminuſq; DEVS reuocauit, amore
Terrigenûm victus, longè candente fauilla
Lucis inacceſſæ radians, atq; omnia complens.
Cum potis haud eſſet crudelis iure teneri
Mortis in æternum radiantis præſidem Olympi.
Pſal. 16. Sic etenim cecinit Ieſſæi pagina vatis;
Siue animo quicquam molior, dextraue parentis
Aetherei intueor vultum, mihi dexter adhæret,
Ne qua ruina pedem, rationem irretiat error,
Vis animæ, hoc viſo, geſtit, ventoſaq; lingua
Hunc celebrans reſonat diuinæ munera laudis.
Quin & ſpe vitæ, duri non ſpicula lethi
Horreſcit caro, læta ſed oppetit, atq; quieſcit.
Non equidem hanc animam digreſſam ad Tartara lin-
Obſcuras inter turbas, & regna ſilentum. (quet
Ille DEO ſacrum foßi ſub fornice buſti

In ni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

In nihilum redigi haud patietur, ſiue reſolui,
Ille viam pandet, qua duro excedere lethi
Iure queam, florens & luce redire ſub auras:
Ipſius & coràm vultum & roſea ora tueri.
Certatim adſitis fratres, linguiſq; fauete.
Iſaiden ſcitis vatem tellure repoſtum
Frigida mandaſſe effoſſo ſua membra ſepulchro,
Ipſius his terris monumenta relicta ſuperſunt.
Verùm Ioua fidem dederat de ſemine Ieſſe
Qui clarum duxit quondam genus: affore tempus:
Quo tenues germen fato prodibit in auras,
Quod par excipiet frenum, ſolioq; ſedebit
Cum patre Ießida, & toti dominabitur orbi.
Hunc virtute DEI *cœli veniſſe ſub auras:*
Adſumus en teſtes: hic eſt ſuper æthera vectus,
Et nunc in ſocios promiſſam cœlitus auram
Effundit bonus, in noſtro quæ pectore vires
Exerit inde ſuas, populi ſpectante corona.
Iſaides cœli non ſidera celſa petiuit:
Sed CHRISTVS, *lecti memorat quem pagina regis:*
Accipite hæc animis: Domini & cognoſcite dicta
Ad Dominum prolata meum: mihi Nate parenti
Par, æuo ratione, animo, vi numine, luce, Pſal. 110.
Imperio, virtute, & maieſtatis honore,
Te mihi fer dextrum ad latus, & paria accipe mecum
Sceptra, pares frenos: promptus dum ſubdere plantis
Ipſe tuis gentes reprobas, inamœnaq; Ditis

Regna paro: Stygijs hoſtes calcabis in antris.
  Ergo age, gens Hebræa hæc condita mente teneto:
Decreto Iouæ CHRISTVM veniſſe ſub auras,
Victoremq́ Erebi, donatoremq́ ſalutis:
Quem loris cæſum, & lacerum crudeliter ora,
Ora, manuſq́ ambas, redimitum & tempora ſerto
Vulnifico (infandum) clauis tentaſtis acutis
In ligno extentum, & letho merſiſtis acerbo.
Vix ea fatus erat Petrus: Galilæa virûm vis
Attonitus aſtans animis, ſua lumina vultu
Heu mæſto defigit humi: prolataq́ dicta
Cor penetrant, & ſcindunt (enſis ad inſtar adacti,
Qui ſolet heu totis in vulnera viribus ire)
Et crebris tundit trepidans ſua pectora palmis:
Quærit & ex Petro, quid tandem reſtet agendum,
Quid det conſilij, quænam fiducia turbæ.
  Continuò Petrus: veſtras conuertite mentes
O fratres, ait, & ſalua reſipiſcite vita:
Ne ſcelerate manus: ſed ſacra ſpargite lympha
Corpus, vos venia & dignabitur ira Tonantis,
Officioq́ ſacræ demiſſæ cœlitus auræ:
Quæ noua ſufficiet corda: & noua membra refinget,
Intus aget, vireſq́ addens, noxam abluet omnem.
  Vos, ô vos Solymi, cœli, cæliq́ bonorum
Conſortes eſtis, ſcelerum deflectite curſu,
Et gentem vitate malam, vos tanta perennis
Dona manent vitæ, cœleſtis pignora amoris.

Dixerat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

Dixerat, extemplò ſacras magno agmine ad undas
Aduolitant ter mille viri, qui flumine loti
Se iungunt turbæ procerum, atq; oracula ſancta
In vera pietate, fide & conſtante fatentur.
Ex illo celebrat ſoli gens dedita CHRISTO
Hanc lucem: ut poßint ſeri meminiſſe nepotes:
Quæ facta ediderit luce hac miranda IEHOVA.
Nos igitur memores morem ſeruemus eundem:
Et benefactorem celebremus pectore grato,
Utq; ea viſibili tum ſunt data munera ſigno:
Sic quoq; Chriſtigenis in ſancto munera confert
Joua miniſterio: vox incorrupta ſalutis
Cum ſonat: & ſeſe totos infuſa per artus
Spiritibus miſcet ſacrati numinis auræ.
Non ſecus ac oriens Solis radiantis imago
Aethera peruolitans ſummum, in naſcentia terræ
Germina, virtutem effundit, viuoq; calore
Fota ſuæ radijs colluſtrat ab æthere lucis.
Hæc noſtras fulcit mentes: ne rebus egenis
Succumbant: ſimileſq; ſui ſub pectore flammas
Excitat, & ſacri firmat ſolamine verbi.
O DEVS *hic nobis fac ſemper ſpiritus adſit:*
Pectora qui mundet terreni ab labe parentis,
Atq; fide accendat, te ſolum ut cernere poßint,
Illius auxilio priſcæ contagia labis
Irrita faciant: ſacra ſine numinis aura
Nil ſanctum mens concipit: & caligine denſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

Preſſa iacet: torpent anguſto in pectore ſenſus.
Aura veni dulcis: tu feſsis ſuffice vires:
Vt tandem intrepidi rumpentes vincula mortis,
Felices ſedes, rutilumq́ petamus Olympum,
Hic vbi dulciſonas CHRISTI *in præconia linguas*
Alituum ſoluit chorus, atq́ in ſceptra repoſti
Cum CHRISTO *vnigena, Soliſq́ micantibus alto*
In cœlo radijs certantes, ſemine creti
Primigenæ, dicunt diuinum carmine honorem.

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]

4070.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 4070 4° [42,-191]